



The Holy See

FRANCISCUS

EPISTULA DATA

EDGARIO ARCHIEPISCOPO PEÑA PARRA

Venerabili Fratri

EDGARIO PEÑA PARRA

Archiepiscopo titulo Teleptensi

Substituto pro Negotiis generalibus Secretariae Status

Cuius beata viscera Matris aeterni Patris Filium portaverunt, eiusdem respiciamus humilitatem, qua ad tantam evecta est gratiam, ut Unigenitus ex ipsa secundum carnem nasceretur et superexcellenti Assumptionis in caelum coronaretur gloria, Ecclesiae consummandae initium et imago ac populo peregrinanti certae spei et solacii documentum (cfr Miss. Rom., 15 Aug.: In Assumptione BMV), eamque recolamus, arcano providentiae consilio, in humanae redemptionis mysterio gratiae Auctori sociam datam, ut supplicibus suis ipsa et gratiarum copiam nobis obtineat.

Qua in Deo sustentati spe tantoque devotionis innisi consilio, in universae Ecclesiae necessitatum studium incumbentes, potissimum laetamur de centesimo anniversario a gratiosae imaginis Dominae Nostrae de Altagratia canonica coronatione a Benedicto Pp XV concessa, diebus XIV et XV mensis Augusti huius Anni Iubilari Altagratiani celebrando, participantium devotas exposcentes preces ad Deum, a cuius Filius una mediatione tota maternae caritatis pendet dispensatio atque hauritur virtus.

Tantam ergo recolentes occasionem, ut inter sollemnia perfrui possent christifideles praesentia ac verbo alicuius Reverendissimi Viri, qui Nostras vices ibi gerat atque erga istum concursum dilectissimum dilectionem Nostram manifestet, Venerabilis Fratris Iosephi a Doloribus Grullón Estrella, Episcopi emeriti Sancti Ioannis Maguanensis atque Praesidis Commissionis Nationalis pro Anno Iubilari Altagratiano celebrando, humanissimae petitioni concedentes, ad Te, Venerabilis Frater, mentem Nostram vertimus, qui cotidiano in Nostro ministerio exercendo validum Nobis praestas auxilium ac praecipua devotionis populorum Carabiorum optime comperis, ut hodie

peraptus videaris ad hanc legationem obeundam. Idcirco, hisce Litteris Te MISSUM EXTRAORDINARIUM NOSTRUM nominamus ad sollemnia, quae proximo die XV mensis Augusti Dominicopoli agentur, qui etiam in historia Reipublicae Sancti Dominici peculiari insignitur significatione.

Libenter tibi potestatem facimus, dum celebrationibus praesidebis, illum coetum, publicas auctoritates atque universos christifideles Nostro nomine salutandi ac benedicendi, quos cohorteris, ut, beatissima Virgine Maria in caelum assumpta maternam suam caritatem dispensante, corda fidelium, eodem caritatis igne succensa, Christo intimius adhaereant fideliusque in dies redemptionis inserviant mysterio. Simul, insuper, gravissimum Nostrum ministerium Petrinum precibus committimus universo coetui ibi congregato.

Dum tibi, Venerabilis Frater, Benedictionem impertimur omnibus, qui celebrationi intererunt, transmittendam, legationem tuam ardentibus precibus comitamur, a Deo misericordiae suppliciter obsecrantes, ut hic conventus fidelium, hanc laetitiae occasionem affectu sedulo celebrans, quod recordatione percurrit semper teneat in opere.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXXI mensis Iulii, anno Domini MMXXII, Pontificatus Nostri decimo.

FRANCISCUS